



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 3. An, & qualiter solvatur contractus acceptilatione?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

qui obligationem pro hac, in parte; per tex in L. *Mevius* 35. ff. de Condit. & demonstr. ubi requiritur, ut legatarius, quantum est in se, *det*, licet is, *cui dare iustus est*, non sit capax: facit & text. in L. *Julianus* ff. cit. tit. Ex cuius contextu patet, *iustam dare*, non paruisse conditioni, si eo accepto latum fuerit, quod iustus erat, dare; licet, liberetur ex eo, quod non stet per ipsum, sed per eum, in cuius persona adimplenda conditio.

1052 Not. 6. quando debitor aliquid *legat*, censei velle *compensare* debitum *necessarium*, nimirum lege, vel statuto; sed non *voluntarium*, nempe spontaneâ voluntate inductum; ratio est, quia obligatio, *per legem inducta*, est præter paciscentis voluntatem, cui durum gravari duplici præstatione; ut lex, quem gravat in uno, sublevet in altero, præsumendo Compensationis gratiâ esse relictum, quæ ratio non obtinet in debitore *voluntario*; quomodo (in L. *si cum dotem* 22. §. *Si Pater*. ff. solup. matrimon.) habetur Patri, qui dotem insciâ filiâ à genero exegerat, *legando* filiæ tantum, actionem ad dotem contra generum non esse; ratio est, quia censeitur voluisse *compensasse*.

§. 3.

An, & qualiter solvatur contractus acceptilatione?

1053 **A**ceptilatio est contractus, latissime acceptus, seu potius distractus, scilicet liberatio per mutuam interrogationem, qua utriusque contingit ab eodem nexu absolutio, id est *dissolutio*. L. i. ff. eod. tit. Est enim imaginaria solutio, qua simulatur, debitorem solvisse, quod non solvit; idque animo remittendi, ut, si alter dicat (*quidquid tibi per stipulationem promisi, vel ex stipulatu debui, habesne acceptum?*) & alter respondeat: (*habeo, acceptumquæ fero*) quasi dicat: *perinde habeo, ac si accepissem à te per veram solutionem*. Unde, sicut vera solutio, ita acceptilatio, verè liberat; sicut enim (inquit Molina Tom. 2. Disput. 254.)

jure civili inductum fuit, ut stipulatio, quæ verbis perficitur, civilem induceret obligationem; ita consentaneum rationi fuit iudicatum, ut obligatio illa, aliis quoque verbis, scilicet acceptilationis, dissolveretur. Duplex est acceptilatio; altera *vulgaris*, altera *Aquilia* dicitur. *Vulgaris* habetur, L. *an inutilis*. ff. de acceptilat. estque, *quæ unâ stipulatione constat*, neque ad aliam, quàm ad verborum obligationem referri potest: cum v. gr. is, qui verbis obligatus est, à suo creditore, stipulatur sic: (*quod tibi debeo, habesne acceptum?*) *Aquilia* (Lib. i. ff. eod.) mutuâ, & reciproca stipulatione constat: & ad omnes omnium generum obligationes extinguendas, excogitata est. Ex quo patet acceptilationem aliam esse, quæ fit per stipulationem *simplicem*, veluti, si quis dicat Creditori: *decem, quæ promisi, accepta habes?* facit hæc liberationem plenam ab obligatione; & hæc dicitur *vulgaris*; aliam *Aquiliam*, inventam, inductam, & dictam à Juris-Consultis Aquileio, §. 2. Instit. quibus modis obligatio tollitur, quæ à priori differt in forma, & effectu, ut dicemus statim. Eius forma in eo stat, quod prior obligatio *novetur*, in eam, quæ verborum est (v. gr. *quod tibi debeo ex empto, vel mutuo, ex stipulatione acceptum habes?*) & subjungatur stipulatio vulgaris, v. gr. *quod tibi ex stipulatione debeo, acceptum habes?* & hæc dicitur *Aquilia*; sic Zoësius in l. 8. C. tit. 44.

Not. autem verborum obligationem 1054 esse ex stipulatione, quæ dicitur, *firma verborum conceptio*, qua quis aliquid se facturum, daturumve promittit in contingenti alteri, super hoc ipsum interroganti; ut si dicatur: *spondes dare tantum? spondes, promittis centum? promitto; facies? faciam; sideojubes? sideojubeo*. Dicitur (*conceptio verborum*) quia hic contractus non oritur, nisi interveniat *solemnitas verborum*. Ponitur (*facturum, daturumve*) ut intelligatur semper fieri *per verba futuri temporis*, & comprehendere stipulationes tam faciendi, quam dandi. Aditu (*incontinenti*) quia responsio promittentis debet statim subsequi proxime inter-

interrogationem stipulantis, nullo actu extraneo interveniente. L. *continuus*. ff. de verborum oblig.

1055 Dividitur stipulatio in puram, conditionalem, & in diem; rursus in Aquilianam, Prætoriam, judicialem, cautionalem, & communem; Pura est, quæ nec fit sub conditione, nec in diem, sed absolute, ut si dicatur: *Promittis hoc? promitto*. Deinde *Conditionalis* est, quæ fit interveniente conditione: ut sic: *Spondeo mihi centum, si Christianus Turcam viderit?* altero respondente: *spondeo*; stipulatio *in diem* est, quando assignatur dies pro termino impletionis: ut si dicatur: *promittis mihi centum ad calendas Augusti?* *Promitto*: Prætoriam est, quæ solius Prætoris jurisdictioni relinquatur, proindeque à mero prætoris officio proficiscitur. *Judicialis* est, quæ propter iudicium interponitur, ut ratum fiat, *judicatum solvi*: & hæc non coram prætore, sed coram aliis iudicibus expeditionem consequitur. *Communis* sic dicitur, quia tam apud Prætores quam coram aliis iudicibus cognoscitur, & est, quæ fit *judicio sistendi causâ*. *Cautionalis* est, quæ de aquilia jam dictum est: instar actionis se habet, & ut fiat novatio, intercedit: ut stipulatio de legato, de tutela, & aliis. Et quidem omnis stipulatio naturâ suâ cautionalis est: generaliter enim fit, ut quis cautior, & securior reddatur. *Stipulator* est, qui per interrogationem promissorem obligat. *Commisssa* stipulatio dicitur, cum id, quod per eam promissum est, debetur, ff. de verb. obligat. his præmissis.

1056 Quæstio est 1. an *acceptilatio* habeat vim tollendi obligationem? 2. qualiter *acceptilatio* sit ineunda, ut pariat liberationem? 3. quæ obligationes extinguantur *acceptilatione vulgari*? 4. Quæ *acceptilatione Aquiliâ*? 5. Quomodo *acceptilatio* differat ab *apocha*? 6. quid in hoc possit Procurator, Tutor, Curator, & similes? 7. an *acceptilatio inutilis* habeat vim pacti utilis? Ad 1. R. affirmative, ex definitione *acceptilationis*; & colligitur ex §. 1. Instit. Quibus modis toll. obligat. ibi: *item per acceptilationem tollitur obligatio*. Ad 2. R. quod *purè*; quia diem, & conditionem respicit, uti, & solutio, ad cuius exemplum est inducta L. 4. & 5. ff. h. t. op^o enim est in ea verbis, quæ

Tom. III.

actus præsentis sunt significativa, & ab ipso facto, executione ve actus nomen sumunt, cui dies, & conditio repugnant; cum executioni impedimentum ponant: Alciat. 3. parerg. cap. 7. Ad 3. R. quod *sola, quæ verbis imita, ac contractæ sunt*, ex §. *item acceptilatio*; Instit. eod. Cum naturale sit, unumquodque eo genere dissolvi, quo colligatum, quomodo obligatio consensu, aut literis, aut re imitâ, per *acceptilationem* vulgariter non tollitur. Ad 4. R. Solas extingui obligationes, *quæ per novationem prius transferunt in obligationem verborum, seu stipulationem*.

Ad 5. R. inter *acceptilationem*, & *apocham* hoc interesse, quod *acceptilatione* omnimodo liberatio contingit, licet pecunia soluta non sit: *apocha* non aliâ, quàm si pecunia soluta sit. Ex quibus constat, latius patere *acceptilationem*, quàm *apocham*; Sic enim definitur L. 1. eod. tit. *Acceptilatio est liberatio per mutuam interrogationem, quæ utriusque contingit ab eodem nexu absolutio*. Ad 6. R. in hoc singulariter statutum esse, quod *non rectè acceptum, nomine alieno faciant, aut rogent, nisi præcedente novatione, quæ jus, aut obligatio in novantem transfundatur* L. 13. §. 10. ff. h. t. ibi: Tutor, Curator, furiosi, *ferre non potuit; nec procurator quidem potest facere acceptum*; sed hi omnes debent novare; *possunt enim & sic accepto facere; Ne his quidem accepto fieri potest, sed novatione factâ poterunt liberari per acceptilationem*. Ad 7. R. affirmative, quatenus vitium dat *materia*; ut, quia *acceptilatum*, quod debetur ex causa mutui: *inutiliter enim hoc*, ut ita dictum, *accepto fertur*: inde tamen oritur exceptio pacti de non petendo L. *si unus*. 27. §. *si acceptilatio*. ff. de pact. Hoc enim agitur dictâ *acceptilatione*, ut tollatur obligatio, nisi aliud actum: quod, si vitium in *forma* fuerit (ut si nutu facta fuerit) nihil operabitur; argum. L. 1. §. *si quis ita*. ff. de verb. oblig. facit enim defectus formæ rem neutiquam subesse.

§. 4.

An, & qualiter solvantur contractus solutione?

Inter modos solvendi, seu tollendi obligationem contractuum, primo loco